

Kreis  
Paderborn  
1. 186

1317 April 18.

[9]

Bischof Theoderich und das Domkapitel zu Paderborn gestatten die Gründung der Stadt Willebadessen.

Nos Theodericus Dei gracia episcopus, Ludolphus decanus et totum capitulum ecclesie Paderbornensis notum facimus, quod necessitatem monasterii de Wilbodessem oculis patere considerationis intuentes licentiam vobis communi voluntate et pari consensu, ut circa monasterium suum in suo fundo proprio munitionem civitatis exstruant, ut sic firmetur cepta claustris et non pateat facultas communiter hostibus locum illum faciliter invadendi, hac forma addita et condita, quod opidum illud patens et apertum erit episcopo, qui pro tempore fuerit, et capitulo nostre ecclesie ad omnes nostras necessitates, que possunt immixtare ad modum aliarum civitatum et opidorum nostrorum; sed ex opido illo vel ad opidum illud nulle debent gwerre penitus exerceri; homines nostri aliarum ecclesiarum et monasteriorum nobis subditorum atque ministerialium nostrorum non recipientur nec detinebuntur ibidem, nisi dominorum suorum habeant licenciam super ea. Officiati ecclesie, si quando eos ibi contingit hospitari, hospicia sua, scilicet „stroherberge“ homines exhibebunt; prelatos vero et canonicos ecclesie nostre illuc accedentes prepositus decenter recipiet et benigne procurabit, sicut antea fieri est consuetum. Insecutiones hostium generales, que „volge“ nominantur, cum aliis vicinis civitatibus et villis facere tenentur incole opidi illius, quando super eo fuerint requisiti. Altum iudicium, quod vocatur „gogherigte“ querent, sicut illud ab antiquo querere consueverunt. Ad petitiones generales, in quas omnes ecclesie civitates concordant, pro sua possibilitate contribuere tenebuntur. Cetera omnia, que in eodem opido provenire in quibus cumque rebus et ex quacumque causa possunt in futurum ad liberam dispositionem et ad voluntatem prepositi et monasterii pleno iure perpetuis temporibus integraliter pertinebunt, in tantum, quod nobis aut nostris successoribus nichil iuris remaneat seu competit in eisdem, illis exceptis, que superius sunt expressa. In cuius testimonium sigilla nostra

presentibus literis sunt appensa. Datum XIII<sup>o</sup> kalendas mensis Maii, anno domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>XVII.

Siegel des Bischofs und Domkapitels gut erhalten. Druck: Schaten ad ann.  
— Vergl. Stiewe in Stud. u. Mitt. Benedikt. 34 (1913) S. 635 ff.